

No. 24. 1046. 2. Juli.

K. Heinrich III. schenkt der Stiftskirche zum Vortheil des Capitels das in drei Ortschaften bestehende Gut einer verstorbenen Irmengard im Suabengau in der Grafschaft des Grafen Teti.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si locis deo dicatis iuxta petitiones dei servorum aliquid beneficii [ex] habundanti copia conferimus, et ad aeternam obtinendam vitam et ad temporalem feliciter transigendam nobis profuturum esse liquido credimus. Quapropter notum esse volumus sanctae universitati ecclesiae tam futurae quam et praesenti, qualiter nos pro divina contemplatione animarumque parentum nostrorum redemptione, tum ob utriusque vitae perpetuam felicitatem nostrae videlicet et Agnetis reginae nostrae contectalis dilectae, sanctae Misnensi ecclesiae in honore sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris constructae, necnon fratribus inibi deo servientibus ad complendum scilicet eorum stipendiarium victum tale praedium, quale Irmingart in locis Vviderstat, Heizstete, Scenderslebe^{a)} dictis obtinuit, in nostrum ius atque dominium hereditario iure redactum, situm in pago Suabun dicto et in comitatu comitis Teti in proprium tradidimus cum omnibus suis appenditiis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et redditibus, viis et inviis, quaesitis et [inqu]irendis cum omni utilitate, quae ullo modo ad usum fratrum inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut praepositus et ceteri praefatae sedis canonici ita libere praedicta teneant bona, ne episcopus ullam potestatem habeat aliquid in suum usum aut servitium tollendi vel usurpandi, aut ulli hominum in beneficium dandi vel praestandi, sed tantummodo ad usum et utilitatem fratrum potestatem habeat, prout melius potuerit, disponendi vel ordinandi. [Et ut haec nostra regia auctoritas sta]bilis et inconvulsa per succedentium momenta temporum maneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria, ut infra poterit videri, corroborantes sigilli nostri impr[essione iussimus insigniri.]

Signum domini Heinrici tertii (L. M.) regis invictissimi. (L. S.)

Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovi.

Data VI. Non. Julii anno dominicae incarnationis M^o. XL. VI. indictione XIV., anno autem domni Heinrici tertii, ordinationis ejus XVIII., regni vero VIII. Actum Missenae in dei nomine feliciter amen.

Nach dem durch Mäusefrass und Moder beschädigten Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; die ergänzten Buchstaben und Worte sind in Klammern gestellt; die untere Hälfte des Wachssiegels fehlt.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 10.

a) Ober-Wiederstädt, Hettstädt im Mansfelder Gebirgskreise des k. pr. Reg.-Bezirks Merseburg; Sandersleben im Herz. Anhalt Dessau nahe bei einander an der Wipper gelegen.